



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Propos. 1. Verbum unius & ejusdem esse substantiæ cum Patre docuit
Tertullianus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Obj. Hæc verba Methodii, quæ refert Photius eodem 235. *Duas vires in iis, quæ ante confessa sunt, esse diximus effectrices: unam, quæ ex non exstantibus nuda voluntate sine cunctatione, simul ac voluit, per se ipsam molitur quidquid vult facere, ea quæ est Pater; alteram, quæ componit, & varietate quadam exornat ad prioris imitationem, quæ iam facta sunt; & est Filius omnipotens, ac fortis manus Patris, in qua postquam fecit materiam ex non exstantibus exornat.* R. breviter, Methodium hic duas vires effectrices in Deo dicere, duas, inquam, non essentialiter seu substantialiter, sed personaliter, hoc est, duas personas efficiendi vim habentes, quarum uni creationem universi, quia principium est sine principio; alteri vero universi exornationem, quia vi originis suæ, est primario & per se sapientia divina, attribuit. Cum autem dicit Filium omnipotentem, verum Deum confiteretur eum; cum soli vero Deo conveniat esse omnipotentem. Hactenus de Patribus Græcis.

§. VIII.

De Tertulliano,

bellarm. lib.
de Script.
Ecl.

Tertullianus floruit, Severo imperante. Initio Catholicus ardentissimi zeli, postea in Montani hæresim prolapsus est, & contra Ecclesiam multa scripsit. Eum de Verbi divinitate sensit, quod sentit Ecclesia, disput. I. jam ostendimus, & adhuc, quanta fieri poterit brevitate, ostendimus.

PROPOSITIO

Verbum unius & ejusdem esse substantiæ cum Patre docuit Tertullianus.

Prob. Nam I. in lib. de pudicitia c. 21. dicit, *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* 2. In Apologetico, de Filio loquens, sic ait: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ.* 3. Lib. 3. contra Marcionem c. 6. asserit, *Christum seu Filium, & Spiritum sanctum esse substantiam creatoris, & eos, qui Patrem non agnoverint, nec Filium agnoscere potuisse per ejusdem substantiæ conditionem.* 4. In lib. contra Praxeam c. 2. docet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius esse substantiæ, unius status, unius potestatis. Et c. 4. *Filium non aliunde deducere se, de substantia Patris.* Et c. 25. sic ait: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Patre, tres efficiunt coherentes, alterum ex altero: qui tres unum sunt, non unus: quomodo dictum est: Ego & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.*

Hinc Tertullianus omnia Patris nomina essentialia, adedque perfectiones omnes essentialia, nominibus illis significatas, Filio attribuit lib. contra Praxeam c. 17. *Sed & omnia Patris, Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est: quatenus ita Scriptura docent, hæc dicimus & in Filium competisse, & in his Filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestasse.* Omnia, inquit, Patris mea sunt; cur non & nomina? Cum ergo legis Deum Omnipotentem, & Altissimum, & Deum virtutum, & Regem Israelis, & Qui est; vide ne per hæc etiam Filius demonstretur, suo jure Deus omnipotens, quæ sermo Dei omnipotentis, quæque omnium accepit potestatem, altissimus, &c. Hinc etiam Filium Patri exæquat eodem lib. c. 22. ubi hæc habet de Filio: *Unum sumus, dicens, Ego & Pater, ostendit duos esse, quos aquat, & jungit.* Et lib. de resurrectione carnis c. 6. ubi sic ait: *Sermo Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit parisciari Deo Patri.*

Obj. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 14. & 15. probat realem distinctionem personarum Patris & Filii ex invisibilitate unius, & ex visibilitate alterius; ex eo quod unus nunquam visus, alter vero visus

fuerit. Hæc est ejus argumentatio. De una & eadem realiter persona verum esse non potest, quod invisibilis sit, & visibilis; quod nunquam, & quod aliquando visa sit. Atqui secundum tam veteres quam novas Scripturas, Pater invisibilis est, & Filius visibilis; Pater nunquam visus est, & Filius aliquando visus. Ergo non una & eadem est, sed duplex realiter persona Patris & Filii.

Audiamus Tertullianum. *Adhuc, inquit, & illa nobis regula adsit duos vindicantibus Patrem & Filium, quæ invisibilem Deum determinavit. Cum enim Moyses in Aegypto desiderasset Domini conspectum, dicens: Si ergo inveni gratiam coram te, manifesta mihi te. . . Non potes videre, inquit, faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, & vivet. . . Invenimus & a multis Deum visum, & neminem tamen eorum, qui eum viderant, mortuum. . . Nam Patriarchæ Deum vidisse referuntur, ut Abraham & Jacob: & Prophete, ut Esaias & Ezechiel; & tamen mortui non sunt. . . Jam ergo alius erit, qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri, qui videbatur: & consequens erit, ut invisibilem Patrem pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium agnoscamus pro modulo derivationis. . . Scriptura differentiationis patrocinatur, per visibilis & invisibilis distinctionem, &c.*

Ecce & in Evangeliiis, sic enim prosequitur cap. sequenti, & in Apostolis visibilem & invisibilem Deum deprehendo, sub manifesta & personali distinctione conditionis utriusque. Exclamat quodammodo Joannes: Deum nemo vidit unquam, utique nec retrò. Confirmat & Apostolus de Deo: Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest. . . Idem ipsi Apostoli & vidisse se Christum & contraxisse testantur. Porro si ipse est Christus, & Pater & Filius, quomodo visus est, & invisus? Tum postquam effugium eorum, qui dicerent eundem invisibilem & visibilem, invisum & visum fuisse, invisibilem quidem & invisum ante incarnationem, visibilem vero & visum post incarnationem, expolit, ostendendo eum, qui post incarnationem visibilis & visus fuit, visibilem quoque & visum fuisse ante incarnationem; & eum, qui ante incarnationem invisibilis & invisus fuit, invisibilem quoque & invisum fuisse post incarnationem, sic concludit: Filius ergo visus est semper, & Filius conversatus est semper, & Filius operatus est semper ex auctoritate Patris, & voluntate, &c.

Ex his autem sic argumentaberis. Ille non sensit unam & eandem esse Patris & Filii substantiam, qui sensit Patrem invisibilem, Filium vero visibilem esse; qui sensit Patrem nunquam visum fuisse, Filium vero fuisse visum, non solum post, sed etiam ante carnem in utero Virginis susceptam. Nemo enim mediocriter sapiens non videt, eorum, quorum una & eadem est substantia, si unus invisibilis est, alterum quoque invisibilem esse; & e contra si unus est visibilis, alterum quoque esse visibilem; nec unum videri, quin alter quoque videatur: unde illud Christi: *Qui videt me, videt & Patrem.* Atqui Tertullianus sensit, & pro viribus probare conatus est, Patrem invisibilem esse, & Filium visibilem; Patrem nunquam visum esse, & Filium non solum post, sed etiam ante incarnationem visum. Ergo, &c.

R. dist. maj. Ille non sensit unam & eandem esse Patris & Filii substantiam, qui sensit Patrem invisibilem, Filium vero visibilem esse, &c. Si sensit Filium visibilem esse, & aliquando visum fuisse sub propria specie, C. maj. Si tantum sensit Filium visibilem esse, & visum fuisse sub assumpta specie, Neg. maj. At Tertullianus sensit tantum Filium visibilem esse, & visum sub assumpta specie sensibili, atque hominibus tum ante, tum post incarnationem apparuisse; ante incarnationem quidem in corpore aereo, ad tempus assumpto; post incarnationem vero in carne vera, & nostra planè simili, excepta originali deordinatione; quam carnem sibi hypostaticè univit in utero B. Virginis. Sed ut mentem Tertulliani planè assequaris,

R

Nota.

Simonet Theol. Tom. I.

Nota. Tertullianus sensit, 1. Patrem invisibilem esse in propria forma, etiam de potentia absoluta & extraordinaria, quia substantia divina spiritalis est & insensibilis, adeoque eam sub sensu cadere repugnat. 2. Patrem invisibilem esse etiam in assumpta forma, non quidem de potentia absoluta & extraordinaria, sed de ordinaria, quia Pater ab aeterno decrevit, nunquam se etiam in forma assumpta videndum hominibus exhibere, quod decretum nobis tum in veteri, tum in novo Testamento revelavit. Hujus autem decreti ratio congrua est, quia conveniens fuit, ut ex personis divinis illa tantum hominibus apparerent in hac mortali vita, quae ad homines mitti possent, Pater autem potest quidem mittere duas alias personas, quia principium illarum est, & ab eo procedunt: at ipse mitti non potest ab alia persona, quia est sine principio, nec est alia persona, à qua procedat. 3. Et ita Patrem nequidem in assumpta forma aliquando visum esse, non quod nequidem absolute posuerit hominibus apparere in assumpta forma, sed quia nunquam sic hominibus apparere in tempore, immobiliter decreverat in aeternitate.

De Filio sensit Tertullianus, 1. non solum de potentia absoluta & extraordinaria, sed etiam de potentia ordinaria, & vi praesentis decreti visibilem esse, non quidem in propria, sed in assumpta forma. 2. Re ipsa non solum post, sed etiam ante incarnationem, hominibus in assumpta forma apparuisse, & ab eis visum esse: quod tum ex veteri, tum ex nova Scriptura conatur ostendere. Sic igitur ad probandam distinctionem realem personarum Patris & Filii, argumentatur Tertullianus. De una & eadem realiter persona verum esse non potest, quod simul sit de potentia ordinaria visibilis & invisibilis in assumpta specie, & quod in assumpta specie aliquando & nunquam visa fuerit. Atqui secundum Scripturas tam veteres, quam novas, Pater de potentia ordinaria invisibilis est in assumpta specie, & Filius visibilis est; Pater nunquam visus est in assumpta specie, & Filius aliquando visus est, etiam antequam caro fieret. Ergo Pater & Filius non sunt una & eadem persona, sed sunt duae personae realiter distinctae, quamvis unam & eandem numero substantiam habeant.

Quod autem Tertullianus senserit Filium in propria forma, tam invisibilem esse de quacumque potentia, quam Pater invisibilis est; nec Filium etiam ante incarnationem nisi in assumpta forma visum esse ab hominibus, demonstratur ex verbis ipsius Tertulliani. Sic enim loquitur: *Dicimus enim & Filium suo nomine eatenus invisibilem, quia sermo & spiritus Dei ex substantia conditione jam nunc; & quia Deus, & sermo, & spiritus. Visibilem autem fuisse ante carnem eo modo quo dicit ad Aaron & Mariam: Et si fuerit propheta in vobis, in visione cognoscat illi, & in somnio loquar illi, non quomodo Moysi: os ad os loquar illi in specie, id est, in veritate, & non in enigmate, id est, non imagine, sicut & Apostolus: Nunc videmus tanquam per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. . . At nunquid Filius quidem videbatur: etsi facies, sed ipsum hoc in visione, & somno, & speculo, & enigmate: quia sermo, spiritus, nisi imaginaria forma, videri non potest.* Hinc ibidem dicit Filium à Patriarchis & Prophetis non fuisse visum nisi retro; cum Filius hominibus apparuit, Deum quidem visum fuisse secundum hominum capacitates, non secundum plenitudinem divinitatis.

Obj. 2. Tertullianus docuit Filium à Patre separatum esse. Sed quae separata sunt, distinctas & diversas habent substantias. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam lib. contra Praxeam c. 6. de Sophia, hoc est, de Filio loquens, sic ait: *Adstantem eam ipsa separatione cognosce.* R. dist. majorem, Tertullianus docuit Filium separatum esse à Patre separatione latè & improprie dicta, C. maj. Separatione proprie & strictè sumpta, N. maj. Duplex itaque apud Tertullianum distinguenda est separatio, una scilicet impro-

pria & lata, quae nihil aliud est, quam personalitatum distinctio & diversitas; altera verò stricta & propria, quae distinctio & diversitas est non solum personalitatum, sed etiam substantiarum. Primam autem separationem, Patri & Filio attribuit; secundam ab illis removit Tertullianus.

Ad prob. R. Tertullianum ibi loqui de separatione lata & impropria, nec aliud velle, quam realem personarum Patris & Filii distinctionem probari, ex eo quod in Scriptura Sophia seu Filius dicatur Patri adstitisse in aeternitate, cum res à se in tempore condendas ordinaret: repugnat enim eum, qui adstitit, unam & eandem esse personam cum eo, cui adstitit. Quod autem separationem propriam & strictam, quae in substantiarum diversitate consistit, à Patre & Filio removerit Tertullianus, patet ex eod. lib. c. 9. ubi sic ait: *Hanc me regulam professum, qua inseparatos ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum testor, tene ubique; & ita quid quomodo dicatur, agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum.* (En separatio lata & impropria, quam admittit.) *Male accepit idiotae quisque aut perverfus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, & ex diversitate separationem protendat, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* (En separatio stricta & propria, quam removit.) *Necessitate autem hoc dico. . . non tamen diversitate alium Filium à Patre, sed distributione: nec divisione alium, sed distinctione.*

Nota obiter. Tertullianus solum distinctionem & diversitatem personalitatum Patri & Filio attribuit, & ab illis discrete rejicit distinctionem & diversitatem essentialium seu naturarum. At ubi non est distinctio & diversitas essentialium seu naturarum, ibi essentiae seu naturae unitatem & identitatem esse necesse est, ut notum est ex terminis. Manifestum igitur est, Tertullianum Patri & Filio essentialiae seu naturae unitatem & identitatem attribuisse.

PROPOSITIO II.

Tertullianus Filio non attribuit tantum partem essentialiae seu naturae divinae, sed totam attribuit.

Prob. Nam 1. Tertullianus non ignoravit, quod vel mediocriter sapientibus ignorare non licet, essentialias nimirum seu naturas rerum esse prorsus impartibiles. Ergo hoc ipso, quod Tertullianus essentialiam seu naturam divinam attribuit Filio, totam & integram attribuisse censendus est. 2. Si Filius non habet totam & integram essentialiam divinam, non est integrè Deus, sed diminutè tantum: sicut qui non haberet totam essentialiam humanam, non esset integrè homo, sed ad summum diminutè: imò verò si Filius non habet totam & integram essentialiam seu naturam divinam, non est verè Deus: sicut qui non habet naturam humanam totam & integram, nec est, nec esse potest verè homo. Utrumque consequens evidenter repugnat doctrinae Tertulliani. Ergo, &c. 3. Essentialia, seu natura divina, ut hic sumitur, nihil aliud est quam collectio attributorum divinarum absolutorum. Atqui Tertullianus hanc collectionem Filio attribuit, ut patet ex lib. contra Praxeam c. 17. & cap. 22. ubi ait Filium Patri aequalem esse, in essentialibus scilicet & absolutis. Et ex omnibus aliis locis, in quibus docet Patrem & Filium unum esse divinitate vel substantia: nam quae unum sunt in aliqua ratione, in eadem ratione aequalia sunt inter se: unitas enim aequalitatem facit. Ergo, &c.

Obj. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 9. sic loquitur: *Pater tota substantia est, Filius verò derivatio totius, & portio, sicut ipse profertur: Pater major me est.* Ergo secundum Tertullianum, Filius per generationem non accipit totam Patris substantiam, sed partem illius tantum. R. neg. conf. Nam Tertulliani verborum, quae videntur dura, hic sensus est: Tota substantia divina est in Patre, tanquam in fonte, unde profluit in alias personas divinas, Filium scilicet, & Spiritum sanctum. Filius verò est veluti rivus profluens ex hoc fonte, & veluti portio illius